

ralem, & Diuinam, seu Metaphysicam realera: sed ex hac diuisione non potest aliquid ens rationis, nec ipsum in communi, cadere sub Metaphysica reali: sicut nec ipsum potest cadere sub ente reali vt sic: ergo necessario secundum Doct. ens rationis cadit per se sub consideratione alterius scientia: sed talis nequit esse nisi Metaphysica rationalis: igitur, &c.

Sed obijcies mihi Doctorem quest. 1. Elenchorum prope finem: vbi sic ait: vnde per hoc, quod dico; quod ens natura a primo Philosopho consideratur, & ens rationis a Logico, non intendo aliquid excludere a consideratione primi Philosophi: In quibus verbis videtur sentire secundas intentiones secundum suas quidditates cadere sub Metaphysica consideratione, & vt applicabiles sunt, cadere sub Logico instituto.

Respondeo primo, quod loquitur ibi Doctor de exclusione per accidens: nam secundum hanc, certum est, quod nihil a reali Metaphysico excluditur: & patet, quod sic intelligatur: nam, inquit; quod genus, & species, in quantum quaedam specialia entia sunt, sic collocantur in genere determinato, & cadunt sub consideratione eius, cuius est quod quid est determinare: sed genus, & species, vt vniuersalia sunt, non habent intentionem reale determinatum, nec a Metaphysico per se considerantur, sed per accidens. Ergo nec eorum quidditas per se ab illo consideratur.

Secundo dico: quod loquitur ibi de Logico, vt est quidam Artifex rationalis applicans instrumenta sua intentionibus primis: & quia talia instrumenta possunt omnibus applicari, ideo Artifex communis appellatur: ceterum quia ultra illam applicabilitatem possunt vt entia considerari, & Logicus, vt sic, ea non consideret: ideo excludens Logicum ait, considerari a Metaphysico, seu Philosopho primo, non curans, an talis consideratio sibi conueniat per se, siue per accidens: hoc enim ibi ex proposito non disputabat.

Ratione probatur conclusio: ens rationis late sumptum est ab aliqua scientia per se considerabile, ex prima conclusione: sed non a Logica, nec a Metaphysica reali; quia haec non considerat per se primo, nec per se secundo, tale ens rationis: etiam secundum oppositum opinantes: igitur est a tali Metaphysica rationali per se primo considerabile: cum non sit alia scientia, quae illud per se primo considerare possit.

Dicendum tertio, ens rationis late sumptum est considerabile a Metaphysico reali per accidens: haec est communis: & probatur: illud, quod est per se ab vna scientia considerabile potest ab alia per accidens considerari: patet de ente reali, quod per se a Metaphysico consideratur, & a Logico per accidens: sed ens rationis consideratur per se a Metaphysico intentionali: ergo per accidens potest a reali considerari: & de facto consideratur, quando illud considerat attribuendo ei formam entis realis, & quando eius cognitio adiuvat ad cognitionem talis entis rationis.

Secundo, ens rationis non pertinet per se primo, nec per se secundo, nec reductiue ad subie-

ctum Metaphysicæ: ergo tantum ab illa per accidens consideratur: consequentia patet ex notab. secundo: antecedens quoad duo priora etiam ab aduersarijs admittitur: quo ad tertium probatur: nam nullum a quale alteri, & ex diametro oppositum, dicitur reduci ad illud: sed ens rationis est a quale enti reali, illique oppositum, tanquam membrum diuidens cum illo ens in communi: ergo ad illud non reductur: maior patet: nam quod reductur ad aliud, debet esse, vel eiusdem naturae cum illo, vel saltem aliquo modo pertinere ad eandem naturam, cuiusmodi non est ens rationis respectu entis realis.

Confirmatur si ens rationis reduceretur ad obiectum Metaphysicæ, eius passionis demonstrarentur per rationem formalem entis realis: consequens est falsum: nam solum passionis entis realis per eius rationem formalem demonstratur: ergo: probo maiorem: nam si passionis entis rationis demonstrantur a Metaphysico reali, vel est per rationem formalem entis realis, vel ipsius entis rationis: si primum, implicat, vt patet: si secundum, est intentum conclusionis: ergo, &c.

Dicendum vltimo, Vniuersale Logicum, & quælibet alia intentio secunda, vt sunt entia rationis considerantur a Metaphysico rationali: vt autem sunt entia applicabilia primis intentionibus a Logico considerantur: haec constat ex dictis.

Ad argumta: ad primum nego maiorem: nam entia rationis Logicalia sunt per se intelligibilia, sicut secundario, & ita sunt per se scibilia: hoc enim quod a liquid non sit per se primo intelligibile, non licet inferre, quod non sit per se scibile: nam relatio realis non est per se primo intelligibilis, & tam en secundum omnes, est per se scibilis. Ita in proposito: fatemur enim ens rationis non esse per se primo intelligibile, sed intelligi per species entis realis: negamus tamen de eo non esse per se aliquam scientiam, quæ ipsum consideret immediate, & per hoc ad secundum.

Vlt. conclusio.

Ad primam & secundam.

QVÆST. V.

An vniuersale subiectetur in re; vel in intellectu?



Vxritur de vniuersali; cum sit accidens; vt hic loquimur; in quo est, vt in subiecto, vtum in re, vel in intellectu? Quod non in re, probo: omne accidens, quod est in re, est proprium, vel comune: si proprium, inest indiuiduis: licet non primo; quia proprium per se primo

3. Conclus.

primò inest speciei, per se enim presupponit de omni: si commune, inest primo indiuiduis: si ergo esset accidens in re, inest primo indiuiduis: sed hoc est falsum: quia tunc indiuiduum esset vniuersale: ergo, &c.

Tex. Com. 5. & inde cap. 2.

Item, intellectus est virtus passiva per Arist. 3. de anima: ergo non agit extra mittendo; sicut est de sensu, per Arist. 1. Topicorum: cum ergo causet vniuersale, non extramittet illud: ergo non est in subiecto aliquo, extra ipsum.

Com. 5.

Item: ex intellectu, & intelligibili, fit verius vnum, quam ex materia, & forma, per Commentatorem tertio de anima: sed forma non est extra materiam, nec e conuerso: igitur nec intelligibile extra intellectum: ergo nec modus intelligibilis extra intellectum: igitur nec vniuersale.

Tex. Com. 70.

Ad oppositum: materia, & efficiens non coincidunt, per Arist. 2. Physicorum: intellectus est causa efficiens vniuersalis: ergo non est materia: ergo nec subiectum: quia accidentia non habent aliam materiam nisi in qua, quæ dicitur subiectum eorum.

Com. 8.

Item, per Commentatorem super primo de anima: intellectus facit vniuersalitem in rebus: ergo illa est in re; non in intellectu: ergo, &c.

Item: accidens est in illo, vt in subiecto, quod denominat vniuersale: denominat rem; non intellectum: igitur.

QVÆSTIO I.

Appendix: an hæc sit vera; homo est vniuersale?

Vxtra hoc quæritur: de veritate istius propositionis: homo est vniuersale: & confirmilium, vbi prædicatur intentio de re: quod sint falsæ, probo: subiectum significat veram naturam: ergo pro illa supponit: prædicatum non prædicat veram naturam: quia non significat eam, igitur prædicatur non vera natura de vera natura: ergo oppositum de opposito.

Item: si homo est species, & species est intentio: ergo homo est intentio: cõ-

clusio est falsa: ergo aliqua præmissarum non minor: ergo maior.

Item: omnis prædicatio vera in abstracto est vera per se primo modo: hæc non est vera per se primo modo: homo est species: & prædicatur, & subiectum, sunt abstracta: ergo propositio falsa.

Ad oppositum: de quocunque prædicatur diffinitio; & diffinitum: sed homo prædicatur de pluribus differentibus numero: ergo homo est species: ergo vniuersale.

QVÆSTIO II.

Appendix, an tales sint per se?

Vxtra hoc quæritur: an tales sint per se? quod sic videtur: cui enim per se inest diffinitio, per se inest & diffinitum: sed homo prædicatur per se de pluribus differentibus numero: ergo homo per se est species.

Item: quod est per se intelligibile, est per se vniuersale: homo est per se intelligibile: ergo, &c. minor patet: quia per suum quod quid est, quod est idem sibi.

Item: vniuersale conuenit homini, secundum quod abstrahitur ab omni accidente: ergo non conuenit ei, vt accidens est: antecedens est verum: quia homo, vt coniungitur accidentibus, est singulare.

Ad oppositum: per se presupponit dici de omni: ergo si homo est per se vniuersale: omnis homo erit vniuersale: consequens est falsum: ergo & antecedens.

Ad primam quæstionem dicendum: quod vniuersale est in re, vt in subiecto: quia illa denominat non intellectum: sed in intellectu est veluti in efficiete, & vt cognitum in cognoscente. Sciendum tamen: quod significatum termini communis significantis veram naturam tripliciter potest considerari: vno quidem modo, secundum esse in suppositis, quod dicitur esse materiale eius: & hoc modo in sunt sibi accidentia communia: secundum esse quidditatum: & sic in sunt ei prædicata essentialia: tertio modo, vt per

Ad primam quæst.

per formam intelligibilem ab intellectu apprehenditur; quod est sic cognitum: & sic in sunt ei intentiones. Intellectus enim considerans naturam hominis vniam in multis, & de multis, ab aliqua proprietate reperta in natura sic considerata, mouetur ad causandum intentionem; & illam causatam attribuit illi naturæ, cuius est proprietas, a qua accipitur.

Ad primum argumētum dico: quod procedit de accidente reali, quod inest naturæ secundum esse materiale.

Ad secundum dico: quod non attribuit aliquam proprietatem rei per eius transmutationem: quia non est virtus factiua. potest tamen aliquam attribueret, quæ dicitur habitudinem rei ad intellectum; præsertim si accipiat a proprietate illius rei: sicut attribuit modos significandi dictioni significatiuæ, qui sunt in voce, vt in subiecto: effectiue tamen ab intellectu.

Ad tertium dico: quod illud dictum Commentatoris non potest intelligi, quod fiat vnum compositum ex illis: quia tunc intellectus esset compositus ex quidditatibus omnium rerum sensibilium: sed intelligendum est, quod intellectus in actu verius recipit prædicationem vnus, cum intelligibili in actu; quam materia cum forma: quia intellectus in actu est intelligibile in actu: quia per speciem intelligibilem in actu, potest seipsum intelligere reflectendo: materia autem non est forma, per hoc quod ponitur cum forma.

Ad secundam quæst.

Ad secundam quæstionem dicendum: quod est vera eo modo, quo nunc dictum est, accidens inesse rei: quia definitio intentionis inest rei isto modo. Contra hoc: species inest homini, secundum quod homo dicitur de pluribus, &c. sed non dicitur de illis, nisi secundum quod est in illis: & hoc est secundum esse materiale: ergo primo modo propositio est vera.

Ad hoc dico: quod species inest homini, secundum quod homo prædicatur de indiuiduis: loquendo de prædicatione signata, non de prædicatione exercita; id est, non secundum quod est idem suppositis, quod est primum membrum distinctionis.

Ad primum argumentum dico: quod

vera natura potest sumi tripliciter; non tamen propositio distinguenda est: quia diuersitas suppositionis stat cum vnitatem subiecti; & significati: sed est magis multiplicitas figuræ dictionis; si qua sit. Est igitur propositio simpliciter vera: quia secundum quod subiectum supponit veram naturam; vt tamen comparatur ad intellectum, inest ei tale accidens: multiplicitas enim figuræ dictionis non est vere multiplicitas; sed tantum phantastica: vnde hic non distinguitur: Sortes est homo: sed esset falsa; si acciperetur homo, vt accipitur hic: homo est species.

Ad secundum dico: quod hæc est falsa: species est intentio. Sicut hæc: album est color: quia species denominatiue importat aliud, quam intentio in abstracto.

Contra: tunc hæc est vera: species est intentionale: & ita sequitur: ergo homo est intentionale.

Dici potest: quod hic est fallacia accidentis: quia species respectu hominis accipitur, vt modus: respectu vero intentionis, vt quid: quia quodlibet in suo genere est quid.

Ad tertiam quæstionem dicendum: quod tales non sunt per se: quod patet de primo modo: prædicatur enim in primo modo, definitio, vel pars definitionis de definito: impossibile est autem aliquam rem secundæ intentionis definire rem primæ intentionis: quia tunc illa res secundum suam essentiam, partim esset a natura, & partim ab intellectu: & ita a diuersis non ordinatis: quare non esset vnum essentialiter: ergo impossibile est aliquam intentionem per se primo prædicari de re: nec secundo modo: quia non causatur intentio ex per se principijs subiecti: nec quarto modo: quia res non est causa efficiens intentionis, sed intellectus: nec vniuersaliter aliquo alio modo: quia tunc esset natura sufficiens causa talis accidentis: in quocumque igitur esset illa natura, illi inesset accidens: quod falsum est.

Ad primum argumentum negatur minor.

Contra: si non prædicatur per se, prædicatur per accidens: igitur hæc est per accidens: homo est animal: etiam illa responsio est contra communem modum loquendi.

Ideo

Ideo dico: quod Lyperse in minori potest determinare in hærentiam huius prædicati: prædicatur de pluribus: vel in hærens, scilicet, prædicatum: primo modo est falsa: & sequitur conclusio falsa: secundo vero modo est vera: non tamen infert tunc consequens sic. Simile patet hic: accidens est per se ens: quia si per se determinat in hærentiam; vera est: si in hærens; falsa.

Ad secundum per idem: minor est vera, vt per se determinat in hærentiam; & sic maior est falsa.

Ad tertium dico: quod vniuersale inest homini, vt abstrahitur ab omni accidente reali, quod consequitur ipsum secundum esse materiale: non autem ab accidente intentionali, quare, &c.

Summa textus.

Discussis iam quæstionibus, quæ agunt de vniuersali secundum suam quidditatem; discutit Doctor alias tres de illo, per ordinem ad suum subiectum, quarum prima solū est principalis, reliquæ duæ laterales. In prima igitur interrogat, quid sit subiectum in hærentis, seu materia in qua, ipsius vniuersalis: quia cum sit accidens, necessario debet habere subiectum: vnde cum omne accidens subiectiue existens aut est in anima, aut in rebus extra animam; ideo specificat se in Titulo ad illa duo: quia vniuersale, si in aliqua anima potentia subiectatur, tantum est in intellectu, qui solūm fabricat secundas intentiones. Et postquam tribus argumentis probauit vniuersale non esse in rebus subiectiue, vnicam apponit conclusionem bimembrem dicens.

Conclusio.

Vniuersale est in re, vt in subiecto; in intellectu autem est veluti in causa efficiente, & vt cognitum incognoscente: primum probat alijs tribus argumentis ad oppositum: secundum vero, vt manifestum, supponit: nam obiectum cognitum, mediante actu, quo cognoscitur, qui recipitur in potentia cognoscente, in eadem potentia subiectari dicitur.

Conclusio.

Tandem soluit argumenta, & pro illorum, ac quæstionis intelligentia, quandam diuisionem magistralem tradit, quæ in his Logicalibus est valde necessaria.

Conclusio.

Ad secundam quæstionem; in qua quæritur an prædicatio secundæ intentionis de prima, sit vera, affirmatiue responderi modo prima intentio sumatur tertio modo in diuisione prænotato: denique ad argumenta respondet, vt in littera patet.

Tandem ad tertiam quæstionem, in qua quæritur, an secunda intentio prædicetur per se de prima, negatiue responderi: quam conclusionem probat per omnes modos dicendi per se dicendo: & vt argumentis in contrarium satis

faciat, quadam vititur distinctione de ly per se quomodo, scilicet, potest determinare in hærentiam, vel in hærens, quæ est in Scholis specialis, & non nimis vsitata, de qua art. 2, erit sermo.

ARTIC. I.

An secundæ intentiones subiectentur in primis.

Prima sententia est aliquorum asserentium secundas intentiones, & vniuersaliter entia rationis, nec in intellectu, nec in rebus ipsis, subiectari: probatur primo, quia talia entia sunt minima entitatis: ergo non habent aliquod subiectum, in quo subiectentur.

1. Sententia.

1. Argum.

Secundum.

Secundo, secundum veritatem Theologica in Deo nullum accidens cadit subiectiue: sed de Deo dicuntur aliqua entia rationis: v. puta, Dominus, creator, indiuiduum terminus incomplexus, subiectum, prædicatum, &c. imo, vt supra vidimus, causat secundas intentiones: in quo ergo erunt subiectiue? si in intellectu diuino: ergo accidens cadit in Deo: si in rebus: videtur oppositum per argumenta Doctoris, quibus probat vniuersale non esse in rebus.

Secunda sententia affirmat secundas intentiones habere esse in intellectu, non solum obiectiue, sed subiectiue; non tamen in rebus: quæ quidem sententia, quoad hoc secundum, probatur eisdem argumentis Doctoris: nam si talia entia non sunt subiectiue in rebus, necessario in intellectu subiectari debent.

2. Sententia.

Tertia sententia est Doctoris, asserens vniuersale, & reliquas secundas intentiones, subiectari immediate in primis: pro qua notandum primo, quod hoc nomen intentio est æquiuocum, & multipliciter dicitur, vt patet per Doct. in 2. distinct. 3. sed ad propositum interio est duplex: formalis, & obiectiua: formalis est actus intellectus, quo formaliter tendit in suum obiectum, actus, scilicet, de genere qualitatis, qui proprie Verbum appellatur: quamuis etiam secundum Mauritium quæst. 3. vniuers. & Bargium in 1. distinct. 2. 3. potentia, habitus, & species intelligibilis, nomen intentionis formalis sibi vsurpet: sed nos in præsentia solū de actu intellectus hoc nomen intelligimus: & vt sic est duplex: prima, & secunda: prima intentio formalis est actus absolutus, quo natura absoluta, vel relatiua sub ratione absoluta, cognoscitur: secunda intentio formalis est actus collatiuus, a quo relatio rationis inter extrinsecas comparata derelinquitur, qui quidē actus, licet in se sit qualitas absoluta, obiectiue tamen relatiuus nuncupatur. Intentio vero obiectiua sunt obiecta talium actuum: quæ similiter est duplex: prima, & secunda: prima intentio obiectiua, ex Doct. in primo distinct. 2. 3. sic notificari valet: est res cognita, vel cognoscibilis, actu recto, vel reflexo: & est duplex: propria, & impropria: hæc, est ipsa res, prout est a parte rei, quæ, quia cognoscibilis est ab intellectu

3. Sententia Doctoris.

1. Not.

Actu recto, prima intentio obiectiua dicitur: propria vero est ipsa res, prout cognita denominatur, quae aliter sic distinguere solet: est obiectum actualiter cognitum actu recto, vel reflexo absoluto. Secunda intentio obiectiua secundum Doct. ut supra: & distincta. 2. parte 2. quaest. 1. est relatio rationis resultans inter duo extrema comparata ab actu collatiuo nostri intellectus: Vnde cum vniuersalia sint secunda intentiones: & accidentia rationis, quaerimus: an subiectentur in primis; non prout improprie dicuntur tales; sed prout proprie primae intentiones subiectiuae appellantur.

2. Not.

Pro quo secundo notandum ex Doct. quaest. principali: quod significatum termini communis significatis veram naturam realem, siue non veram naturam, seu intentionalem, tripliciter considerari potest: primo physice, secundum esse in supposito, siue in inferioribus (sumit enim suppositum large, pro omni inferiori cuiuslibet praedicamenti) prout scilicet supponit personaliter in propositione pro suis singularibus, & inferioribus; quod dicitur esse materiale eius: & hoc modo in sunt sibi accidentia communia nouem generum, mediate tamen: quia sicut secundum Comment. 2. de anima; accidentia propria, ut risibile, & flebile, immediate conueniunt naturae humanae, & mediate Petro, & Francisco: sic accidentia communia, ut esse quantum, album, patrem, vbicatum, &c. immediate conueniunt individuis, & mediate naturae. Secundo modo consideratur tale significatum Metaphysice, & secundum suum esse quidditatum nullum dicens ordinem ad sua inferiora, & ut sic, tantum ei conueniunt sua praedicata essentialia, ac propriae passionis, habetque a Metaphysico considerari. Tertio denique consideratur, ut habet esse cognitum, & abstractum a suis inferioribus, & quatenus supra diximus ipsum esse fundamentum proximum vniuersalitati logicae: & hoc ultimo modo in sunt ei accidentia intentionalia: diciturque in presenti subiectum vniuersale.

3. Not.

Tertio notandum: quod natura secundarum intentionum, & cuiuslibet entis rationis, inuestigatur a nobis per naturam entis realis; ut iam supra vidimus: Vnde cum omnis secunda intentio Logica sit quaedam relatio rationis, de ea, sicut de relatione reali, est nobis Philosophandum: quare sicut relatio realis consideratur, ut accidens; & ut tale accidens: & primo modo dicitur in, seu ordinem ad subiectum, cui in se inhaeret; & secundo modo dicitur ad, seu ordinem ad terminum: sic secunda intentio consideratur, ut accidens intentionale, & ut tale accidens: primo modo dicitur in, & respicit subiectum sibi proportionatum, cui in se inhaeret denominando illud per intellectum: Secundo modo dicitur de, seu ordinem ad inferiora, de quibus praedicatur, & hoc si fuerit secunda intentio vniuersalis: & sumatur, ut modus. Vide Mauritium quaest. 4. dub. 5. ubi inquit, quod esse, in, omnibus vniuersalibus conuenit; si sumantur, ut quid; si vero sumantur, ut modus; aliquibus appropriate, & ut supponit personaliter pro suis fundamentis, conuenit esse, in aliquibus autem dici, de, ut sunt secunda sub-

stantia: si vero formaliter sumantur, omnibus, siue ut quid, siue ut modus, considerentur, conuenit esse in, & dici, de; vide illum.

1. Conclus.

Dicendum primo. Vniuersale Logicum est obiectiue in intellectu, & etiam subiectiue mediate: nam de esse virtuali eius, quod habet in intellectu, tanquam effectus in sua causa, nullus dubitat, quod vniuersale, & quaelibet secunda intentio sit in intellectu. Prima pars etiam ab omnibus conceditur, quia omne obiectum cognitum dicitur esse in potentia cognoscente obiectiue: ergo, & vniuersale, quando cognoscitur actualiter: omne enim obiectum dicitur esse obiectiue in intellectu, vel in se, vel in suo representatiuo.

Secunda pars etiam debet esse communis, si recte intelligatur: nam ut dicemus conclusionem sequente: vniuersale est in rebus immediate, ut habent esse cognitum; & sunt in intellectu cognoscente: ergo ipsum vniuersale mediante suo subiecto, cui immediate inhaeret, inhaerebit mediate intellectui: sicut albedo, quia immediate inhaeret quantitati, dicitur inhaerere substantiae mediate.

2. Conclus.

Dicendum secundo. Vniuersalia sunt subiectiue in naturis, quas denominant, prout habent esse cognitum, & abstractum. Haec est Doct. & probatur ultimo argumento Doctoris: nam duo priora solum ad hominem concludunt: primi enim Maior soluitur a Doct. infra quaest. 3. de accidente, & secundum similitudinem solui potest: si Commentator intelligatur de intellectu agente, ut communiter intelligitur, probatur ergo ultimo argumento. Omne accidens est in illo subiectiue, quod in se inhaeret, sed vniuersale est accidens denominans in se inhaeret, prout habet esse cognitum: ergo in se inhaeret, immediateque in ea subiectatur. Probo minorem: nam omnis modus, & ratio formalis, sub qua aliquid intelligitur, necessario debet intelligi in se in illo, quod intelligitur: nam quod intelligitur extrinsecum alicui, non potest esse illi ratio; ut intelligatur: sed vniuersalitas est ratio formalis, & modus, sub quo natura abstracta intelligitur vniuersalis: ergo talis relatio subiectatur immediate in ipsa.

Dices, Doctor 7. Metaph. vult vniuersale esse in intellectu, & non in rebus; hic autem oppositum vult: ergo sibi, contradicit.

Respondeo: quod Doctor loquitur ibi in sensu primae conclusionis: vel quod vniuersale Logicum non est in re extra, ut rem considerat Physicus, aut Metaphysicus: non tamen ex hoc sequitur, quod non sit in re, ut rem considerat Logicus; videlicet, secundum esse cognitum: hoc secundum vult Doctor hic; primum autem ibi.

Ad primam pro prima sententia.

Ad argumenta pro prima sententia respondetur: ad primum retorquendo ipsum contra illos: nam accidens, ideo esse subiectiuum exquirunt; quia per se esse nequit, nisi aliud concurrat: ergo quanto minoris fuerit entitatis, tanto magis egebit subsistente, minusque per se stare valebit: igitur si minimae entitatis, maxime subiectum requiret: patet consequentia: per regulam quinti Topicorum: si simpliciter ad simpliciter: magis ad magis: maxime ad maxime. Praeterea: quia haec

hae relationes non solum subiecta, sed fundamenta exquirunt, quae necessario debent esse naturae abstractae, vel aliquid in ipsis reperitum.

Ad secundum.

Ad secundum, concedo intentum argumenti: sicut enim nullum est inconueniens in esse Deo modos significandi grammaticales, quos nullus sibi conuenire negat: ita nullum etiam inconueniens debet esse; ut haec intentionalia in Deo subiectentur: quare maior argumenti debet intelligi de accidentibus realibus, & non de intentionalibus. Videatur Doctor in secundo, distincta. 1. quaest. 5.

Ad primam pro secunda sententia.

Ad argumenta pro secunda sententia respondetur: ad primum clara est responsio in textu.

Ad secundum dico: quod intellectus non causat aliquid in re extra per transmutationem physicam, ipsam mutando de vna forma reali in alteram, quia non est virtus factiua: bene tamen transmutat rem transmutatione intentionali, de non esse cognitum ad esse cognitum, & de non esse comparato ad esse comparatum, ratione proprietatis in ipsa natura reperitur, eo modo, quo supra diximus: sicut, v. g. huic voci rosa, rosa, quae ex se est quid reale, & naturale; imponit intellectus significationem naturae roseae, faciens, ut sit illius significatiua: & deinde tribuit ei modos significandi grammaticales; casus, sciit, & numeros, genus, personam, & reliquos, qui a grammaticis nominis accidentia dicuntur; & subiectiue sunt in voce: nam illam intrinsece denominant: ita in proposito est dicendum. Nisi dicas cum Mauritio, quod intellectus non extra mittit, quia natura, ut cognita, non est extra ipsum.

Ad tertium.

Ad tertium, quod est quaedam inepta imaginatio Commentatoris; propter eius reuerentiam, responderet Doctor quod intellectus, & intelligibile, sunt verius vnum, quam materia, & forma: quia nunquam materia prima est forma; aut e contra: intellectus autem fit intelligibile: quia seipsum potest intelligere: & tunc idem numero est intelligens, & intellectum: fit igitur verius vnum: quia ex materia, & forma fit tertium; non tamen vnum est alteri: & ideo minus vnum, quam intellectus & intelligibile; quando intelligit seipsum.

ARTIC. II.

An secunda intentiones vere, & per se, praedicentur de primis?

1. Not.

ITVLVS huius Articuli duarum Quaestionum Lateranum Titulos comprehendit: & quia argumenta contra conclusionem Doctoris, ab ipso in textu optime sunt formata: pro intelligentia notandum primo. Quod praedicatio in proposito idem penne, quod Cathogorica propositio importat: Cathogorica vero propositio provenit ab agoreo, seu agoreuo, verbo Graeco, quod Latine praedico significat: Quare distinctio propositionis simplicis, sic praedicationis, sit fundamenta-liter sumptae, adaptari potest: praedicatio est Enunciatio, in qua aliquid dicitur de aliquo; vel aliquid ab aliquo remouetur: seu clarius:

praedicatio est enunciatio, in qua alterum extremum, tanquam pars principalis, de altero extremo, tanquam de parte minus principali dicitur: & de hac praedicatione, qua vnum de alio praedicatur inquirimus in praesentia conueniat secundis intentionibus respectu primarum, prout habent esse cognitum in intellectu.

2. Not.

Secundo notandum: quod, ut ad praesens attinet; duplex est praedicatio; exercita, & signata: praedicatio exercita est, in qua inter subiectum, & praedicatum ponitur tantum copula, est implicita, vel explicita: implicita; ut homo currit; id est, homo, est currens: explicita; ut homo est animal: signata vero est, in qua inter subiectum, & praedicatum, & inter copulam, est, ponitur implicita, vel explicita; vna secunda intentio denotans tale praedicatum dici de subiecto: ut homo praedicatur de Francisco: id est, homo est praedicatum respectu Francisci: ubi patet: quod ultra praedicatum, quod est Franciscus, & subiectum, quod est homo, ponitur ista secunda intentio; praedicatum. Itaque omnis praedicatio, quae fit mediatis verbis secundae intentionis, ut praedicari, dici, affirmari, negari; subiecti, signari, excludi, distinguere, &c. dicitur signata, confusa, indeterminata, ac figuraria, & quasi multica ad Theorica; quia per illam non habetur determinata notitia, donec in fundamentis talium extremorum exerceatur: v. g. quando dicimus i genus praedicatur de specie; distinctio conuertitur cum distinctio: & subiectum infert praedicatum: non habetur aliqua determinata notitia; sed adhuc expectatur exercitium huius locutionis in fundamentis talium terminorum; sic dicendo: homo est animal: animal rationale est: ergo homo est homo: est ergo animal: & sic de singulis; & haec vltima praedicatio dicitur exercita: quia ponit in exercitio, quod in signata continebatur, sitque mediate hoc verbo, sum, es, fui, fio, existo; & alijs similibus.

3. Not.

Tertio notandum: aliud esse praedicatum vere praedicatum de subiecto; aliud per se praedicari de illo: nam primum solum consistit; ut praedicatum sit conueniens subiecto; illicque intrinsece inhaereat; etiam si sit accidens respectu illius: veritas enim propositionis (de hac enim veritate complexa loquitur Doctor in praesenti) attenditur penes conformitatem conceptus complexi ad significatum obiectiuum complexum; prout scilicet extrema conuenientia inter se sunt vnitae: secundum autem postulat, ut praedicatum in aliquo quatuor modorum dicens per se praedicetur de subiecto: quatuor sunt enim modi praedicandi per se. Primus est quando praedicatum est de distinctio quidditativa subiecti: ut homo est animal rationale; homo est animal: homo est rationalis: quibus additur quando idem praedicatur de seipso: ut homo est homo. Secundus modus est, quando propria passio egrediens a subiecto, praedicatur de illo: ut homo est risibilis: & isti duo modi dicuntur modi per se praedicandi. Tertius est modus per se essendi: & sic omne illud est per se, quod non est in alio; ut Deus, substantia, &